

Horum duorum criminum video aucto rem, video fontem,

video certum nomen et caput. Auro opus fuit; sumpsit a

Clodia, sumpsit sine teste, habuit, quamdiu voluit.

Maximum video signum cuiusdam egregiae familiaritatis.

Necare eandem voluit; quaesivit venenum, sollicitavit

quos potuit, paravit, locum constituit, attulit. Magnum

rursus odium video cum crudelissimo discidio exstitisse.

Res est omnis in hac causa nobis, iudices, cum Clodia,

muliere non solum nobili, sed etiam nota; de qua ego nihil

dicam nisi depellendi criminis causa.